

# GEORGIUS FABRICIUS IN LIBROS

Metallicos GEORGII AGRICOLAE philosophi  
præstantissimi.

A D L E C T O R E M.

**S**i iuvat ignita cognoscere fronte Chimæram,  
Semicanem nympham, semibovemque virum:  
Si centum capitum Titanem, totque ferentem  
Sublimem manibus tela cruenta Gygen:  
Si iuvat Ætneum penetrare Cyclopi in antrum,  
Atque alios, Vates quos peperere, metus:  
Nunc placeat mecum doctos evolvere libros,  
Ingenium AGRICOLAE quos dedit acre tibi.  
Non hic vana tenet suspensam fabula mentem:  
Sed pretium, utilitas multa, legentis erit.  
Quidquid terra finu, gremioque recondidit imo,  
Omne tibi multis eruit ante libris:  
Sive fluens superas ultro nitatur in oras,  
Inveniat facilem seu magis arte viam.  
Perpetui propriis manant de fontibus amnes,  
Est gravis Albunæ sponte Mephitis odor.  
Lethales sunt sponte scrobes Dicæarchidis oræ,  
Et micat e media conditus ignis humo.  
Plana Narischorum cum tellus arsit in agro,  
Ter curva nondum falce resecta Ceres.  
Nec dedit hoc damnum pastor, nec Iuppiter igne:  
Vulcani per se ruperat ira solum.  
Terrifico aura foras erumpens, incita motu,  
Sæpe facit montes, ante ubi plana via est.  
Hæc abstrusa cavis, imoque incognita fundo,  
Cognita natura sæpe fuere duce.  
Arte hominum, in lucem veniunt quoque multa, manaque  
Terræ multiplices effodiuntur opes.  
Lydia sic nitrum profert, Islandia sulfur,  
Ac modo Tyrrhenus mittit alumen ager.  
Succina, quã trifido subit æquor Vistula cornu,  
Piscantur Codano corpora serua finu.  
Quid memorem regum pretiosa insignia gemmas,  
Marmoraque excelsis structa sub astra iugis?  
Nil lapides, nil saxa moror: sunt pulchra metalla,  
Cræse tuis opibus clara, Mydaque tuis,  
Quæque acer Macedo terra Creneide fodit,  
Nomine permutans nomina prisca suo.  
At nunc non ullis cedit GERMANIA terris,  
Terra

Terra ferax hominum, terraque dives opum.  
 Hic auri in venis locupletibus aura refulget,  
 Non alio messis carior ulla loco.  
 Auricomum extulerit felix Campania ramum,  
 Nec fructu nobis deficiente cadit.  
 Eruit argenti solidas hoc tempore massas  
 Fossor, de propriis armaque miles agris.  
 Ignotum Graeis est Hesperisque metallum,  
 Quod Bifemutum lingua paterna vocat.  
 Candidius nigro, sed plumbo nigrius albo,  
 Nostra quoque hoc vena divite fundit humus.  
 Funditur in tormenta, corus cum imitantia fulmen,  
 Æs, inque hostiles ferrea massa domos.  
 Scribuntur plumbo libri: quis credidit ante  
 Quam mirandam artem Teutonis ora dedit?  
 Nec tamen hoc aliis, aut illa petuntur ab oris,  
 Eruta Germano cuncta metalla solo.  
 Sed quid ego hæc repeto, monumentis tradita claris  
 AGRICOLAE, quæ nunc docta per ora volant?  
 Hic caufis ortus, et formas viribus addit,  
 Et quærenda quibus sint meliora locis.  
 Quæ si mente prius legisti candidus æqua:  
 Da reliquis quoque nunc tempora pauca libris.  
 Utilitas sequitur cultorem: crede, voluptas  
 Non iucunda minor, rara legentis, erit.  
 Iudicioque prius ne quis male damnet iniquo,  
 Quæ sunt auctoris munera mira Dei:  
 Eripit ipse suis primum tela hostibus, inque  
 Mittentis torquet spicula rapta caput.  
 Fertur equo latro, vehitur pirata triremi:  
 Ergo necandus equus, nec fabricanda ratis?  
 Visceribus terræ lateant abstrusa metalla,  
 Uti opibus nescit quod mala turba suis?  
 Quisquis es, aut doctis pareto monentibus, aut te  
 Inter habere bonos ne fateare locum.  
 Se non in prærupta metallicus abicit audax,  
 Ut quondam immisso Curtius acer equo:  
 Sed prius ediscit, quæ sunt noscenda perito,  
 Quodque facit, multa doctus ab arte facit.  
 Utque gubernator servat cum fidere ventos:  
 Sic minime dubiis utitur ille notis.  
 Iafides navium, currus regit arte Metiscus:  
 Fossor opus peragit nec minus arte suum.  
 Indagat venæ spatium numerumque modumque,  
 Sive obliqua suum, rectave tendat iter.

Pastor ut explorat quæ terra fit apta colenti,  
 Quæ bene lanigeras, quæ male pascant oves.  
 En terræ intentus, quid vincula linea tendit?  
 Fungitur officio iam Ptolemæ tuo.  
 Utque suæ invenit mensuram iuraque venæ,  
 In varios operas dividit inde viros.  
 Iamque aggressus opus, viden' ut movet omne quod obstat,  
 Assidua ut versat strenuus arma manu?  
 Ne tibi surdescant ferri tinnitibus aures,  
 Ad graviora ideo conspicienda veni.  
 Instruit ecce suis nunc artibus ille minores:  
 Sedulitas nulli non operosa loco.  
 Metiri docet hic venæ spatiumque modumque,  
 Utque regat positus finibus arva lapis,  
 Ne quis transmissio violentus limite pergens,  
 Non sibi concessas, in sua vertat, opes.  
 Hic docet instrumenta, quibus Plutonia regna  
 Tutus adit, faxi permeat atque vias.  
 Quanta (vides) solidas expugnet machina terras:  
 Machina non ullo tempore visa prius.  
 Cede novis, nulla non incluta laude vetustas,  
 Posteritas meritis est quoque grata tuis.  
 Tum quia Germano sunt hæc inventa sub axe,  
 Si quis es, invidiæ contrahe vela tuæ.  
 Aufonis ora tumet bellis, terra Attica cultu,  
 Germanum infractus tollit ad astra labor.  
 Nec tamen ingenio solet infeliciter uti,  
 Mite gerat Phœbi, seu grave Martis opus.  
 Tempus adest, structis venarum montibus, igne  
 Explorare, usum quem sibi vena ferat.  
 Non labor ingenio caret hic, non copia fructu,  
 Est adaperata bonæ prima fenestra spei.  
 Ergo instat porro graviores ferre labores,  
 Intentas operi nec remove manu.  
 Urere sive locus poscat, seu tundere venas,  
 Sive lavare lacu prætereuntis aquæ.  
 Seu flammis iterum modicis torrere necesse est,  
 Excoquere aut fastis ignibus omne malum,  
 Cum fluit æs rivis, auri argentique metallum,  
 Spes animo fossor vix capit ipse suas.  
 Argentum cupidus fulvo secernit ab auro,  
 Et plumbi lentam demit utrique moram.  
 Separat argentum, lucris studiosus, ab ære,  
 Servatis linquens deteriora bonis.

Quæ si cuncta velim tenui percurrere versu,  
 Ante alium revehat Memnonis orta diem.  
 Postremus labor est, concretos discere succos,  
 Quos fert innumeris Teutona terra locis.  
 Quo sal, quo nitrum, quo pacto fiat alumen,  
 Ufibus artificis cum parat illa manus:  
 Nec non chalcantum, sulfur fluidumque bitumen,  
 Massa que quo vitri lenta dolanda modo.  
 Suscipit hæc hominum mirandos cura labores,  
 Pauperiem usque adeo ferre famemque grave est,  
 Tantus amor victum parvis extundere natis,  
 Et patriæ civem non dare velle malum.  
 Nec manet in terræ fossoris mersa latebris  
 Mens, sed fert domino vota precesque Deo.  
 Munificæ expectat, spe plenus, munera dextræ,  
 Extollens animum lætus ad astra suum.  
 Divitias CHRISTUS dat notitiamque fruendi,  
 Cui memori grates pectore semper agit.  
 Hoc quoque laudati quondam fecere Philippi,  
 Qui virtutis habent cum pietate decus.  
 Huc oculos, huc flecte animum, suavissime Lector,  
 Auctoremque pia noscito mente Deum.  
 AGRICOLAE hinc optans operoso fausta labori,  
 Laudibus eximii candidus esto viri.  
 Ille suum extollit patriæ cum nomine nomen,  
 Et vir in ore frequens posteritatis erit.  
 Cuncta cadunt letho, studii monumenta vigeunt.  
 Purpurei donec lumina solis erunt.